INCLYTA POLONIARUM RESPUBLICA CIVITATI GEDANENSI ÆQUIOR.

ANNO M. DCC. III.





I. *Instrumentum promissa à Serenissimo Rege Casimiro Civitati Gedanensi Evictionis contra Serenissimum Sveciæ Regem, Carolum Canutum, Ejusq; impetitiones, ratione Capitaneatûs Putensis, & summa, in usus Regni & harum Terrarum mutuò accepta, ac super eundem Capitaneatum assecurata. Datum Ao. Dni. 1469.*

Casimirus, DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus & Hæres.

SIgnificamus tenore præsentium, quibus expedit, Universis præsentium notitiam habituris. Quia exigente urgenti indigentia & necessitate, quæ diebus superioribus pro Castri Nostri Mariæburgensis emptione imminebat, Famosi & Circumspecti Consules & Cives Civitatis Nostræ Gedanensis, fideles Dilecti, Castrum Nostrum Regium, Oppidum & Districtum Putzke, in Terra Nostra Pomeraniæ situm, de Nostra certa annuentia, voluntate & scientia, Serenissimo Principi, Domino Carolo, Regi Sueciæ, Fratri Nostro Charissimo, in nonnullis millibus pecuniariis, aliàs juxta continentiam Nostrarum & Nostræ Civitatis Gedanensis Literarum, prælibato Domino Carolo, Regi Sueciæ, traditarum, obligarunt, & in pignus repromissæ solutionis consignaverunt: Quod quidem Castrum, Oppidum & districtus Putzke ex amissione, negligentia & perditione dicti Domini Regis Sveciæ per hostes Nostros olim in Prussia interceptum & occupatum fuerat, & tandem magnis impensis, laboribus sumptibus & stipendiis, per Nostros memoratos Fideles Consules & Cives Civitatis Nostræ Gedanensis feliciter conquisitum, ac de manibus hostium ereptum: Undè ex hujusmodi conquisitione ipsum Castrum, Oppidum & Districtus plenô jure ad Nos vice versa dignoscitur pertinere & spectare. Volentes eatenus memoratos Consules & Fideles Nostros Cives Civitatis ab omnibus turbationibus quarumlibet personarum, quomodolibet (quod absit,) emergendis, præservare: promittimus Verbô Regiô & præsentibus spondemus, prælibatos Consules & Cives Gedanenses ab instantia, importunitate, impedimento, ac turbationibus dicti Domini Regis Sueciæ, ac aliarum quarumcunque personarum, in hac parte facultatem aut interesse habentium, evincere, intercedere, ac indemnes reddere & efficere: tenore præsentium mediante. In quorum fidem & testimonium Sigillum Nostrum præsentibus est subappressum. Datum in Conventione Radomiensi feria 2da in Crastino Visitationis Gloriosissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Anno Domini 1469.

Relatio Venerabilis Alberti de Zichlicz
Poloniæ Vice-Cancellarii.

II. *Recognitio Civitatis Gedanensis Super duobus Millibus & quadragentis Marcis Pruthenicalibus, pro susceptione Stipendiariorum à Domino Joanne Balinski perceptis Anno 1519.*

UNiversis & Singulis, ad quos præsentes literæ pervenerint. Nos Proconsul & Consules Civitatis Gedanensis, prompta obsequiorum Nostrorum

 exhiben-

exhibitione præmissâ, significamus, publicè recognoscentes. Quemadmodum istis diebus suggestione æmulorum, se contra Sacram Majestatem Regiam Serenissimi Domini Nostri, & has Terras suas Prussiæ opponentium, effectum sit, certum numerum stipendiariorum, decem videlicet Millia, huc indies dirigi, quorum hostilis accessus jam jam venit expectandus: quorum intuitu, aliorumque incommodorum respectu, incolis dictarum Terrarum, gravissimis moliminibus imminentium, Magnificus, Strenuus, ac Generosi Domini Stanislaus de Cosczyelecz, Palatinus Junivladislaviensis, Mariæburgensis, Bidgostiensis, Stumensis &c. & exercituum Terrarum Prussiæ Capitaneus Generalis, nec non Ioannes Balinski, Castellanus Gedanensis, & dictæ arcis Margenburgensis Thesaurarius, tanquam Amatores Reipublicæ Pruthenæ, & maximè hujus Regiæ Civitatis, quæ non infima est in eadem Republica, quæ ut per illam eò meliùs conservetur, huic Civitati in præsentaneo periculo opem ferre cupientes, de pecuniis Contributionis Nostræ Gedanensis, pro Regia Majestate laudatæ, (quas Majestas Pia clementissimè munificentissimeque in his terris relinquere, (ut illis succurreret,) dignata est polliceri:) nobis dederunt & extradiderunt duo millia & quadringentas Marcas prutenicales ad Stipendium unius mensis, pro quadringentis satellitibus sive militibus mercenariis, hic in Civitate nobiscum servandis. In cujus rei testimonium minus Sigillum Civitatis nostræ, quo impræsentiarum utimur, præsentibus est subappressum, Datumq; Gedani die Jovis, proxima post Fest. Sanct. Matthæi Evangel. Anno Domini M. D. XIX.

III. *Constitutio Comitiorum Reg. General., Thorunij Anno 1626. celebratorum, latino idiomate expressa. pag. 5. Tit. Civitates Thorunium & Gedanum.*

Civitates nostræ Thorunium & Gedanum, quoniam in hoc casu Reipubl., & subitanea invasione hostili fidem & constantiam suam plenissime nobis exhibuerunt periculis & expensis suis: Gratè id ab ipsis uti nomine nostro, ita universorum congregatorum Statuum accipientes, omnimodam providentiam & defensionem, ipsis quam maximè proficuam & validissimam Illustrissimo Duci Exercituum adhibere, ut Civitatum harum, de Nobis benè meritarum, rationem habeat, per omnia commendavimus. Et quia ob temporis angustias in nonnullis postulatis satisfactio ipsis non præstita, in futuris, Deo volente, Comitiis audire eas clementissimè pollicemur, atque in jura ipsarum, quæ ratione immunitatis à teloneo Dybowiensi se habere memorant, inquiremus & decidemus.

IV. *Responsum S. R. Majestatis Nuncio à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ in Conventu Generali, Graudenti die 23. Septembr. 1627. habito, datum. §. Cumq; publicè constet, &c.*

Cumq; publicè constet, quantos Civitas Gedanensis, ad contestandam Reipublicæ fidem & constantiam sumptus, tum ad muniendum portum ipsamque Civitatem, tum ad militem præsidiarium alendum, hactenus impenderit

derit, & adhuc impendat quotidiè, quibus impostetum ferendis, ac debitis, inde contractis, solvendis, haud par futura sit: ideò Status & Ordines rogant, S. R. Majestas eam Civitatem benignissimè sibi commendatam habere, atque providere dignetur, ut per Constitutionem ex Contributionibus Regni talia subsidia pecuniaria ei subministrentur, quibus præfatæ necessitates ejus subleventur, & debitorum solutio adjuvetur.

V. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussia ad Comitia Regni, die 12. Octobr. Varsavia celebranda, Nuntiis Terrarum Prussia ex Conventu Graudent. data d. 23. Sept. 1627. §. Civitatis etiam Gedanensis &c.*

Civitatis etiam Gedanensis curam suscipient, & post fidei & constantiæ, quam Reipublicæ contestata est, commendationem, pro ea intercessionem suam interponent, ut S. R. Majestas & Respublica damnorum, ex hoc bello perpessorum, & sumptuum impensorum condignam rationem habere, eidemque ad ulteriorem militum sustentationem, & debitorum, jam contractorum, persolutionem, ex Contributionibus Regni sufficientibus subsidiis per Constitutionem succurrere, & horum damnorum compensationem largiri dignentur.

VI. *Constitutio Comitiorum Varsaviens., die 23. Novembr. Ao. 1627. habit. pag. 14. Tit. Civitas Thorunensis & Gedanensis.*

Constitutiones & Jus Correctum Terrarum Prussiæ, in violentos sancita, declaramus, quod in omnibus punctis Civitatibus Nostris Thorunio & Gedano ac incolis Civitatum pariter cum Statu Equestri uti antiquitus serviit, ita in futurum servire debeat; atque Cives dictarum Civitatum pro violentiis, per Nobiles illatis, vigore ejusdem juris Correcti, uti coram Palatinis, ita quoque in aliis subselliis contra quoscunque violentos invasores criminaliter ad pœnas Legum jure agere possunt. Adhæc quoniam Civitas Gedanensis fidem suam, magno sumptu militem alendo, undique coarctata existens, Nobis & Reipublicæ servat: gratum Nobis foret, ut expensarum, ab ipsa erogatarum, ratio haberi possit, qualiter extra damna maneat. Attamen ad præsens ob temporis penuriam adimplere id non possumus, ad aliud commodius tempus rejicientes gratitudinem omnimodam cum Statibus Regni ipsis testari parati erimus, quò ipsorum exemplô aliæ Civitates parem Nobis & Reipublicæ fidem & constantiam servent.

VII. *Responsum S. R. Majestatis Nuntio in Conventu Generali Terrarum Prussia, Culma die 15. Junij 1628. habito, datum. §. Quia etiam publicè constat &c.*

Quia etiam publicè constat, ipsaque S. R. Majestas clementissimè meminerit, quantos sumptus Civitas Gedanensis pro contestanda fide debita & constantia sua erga S. R. Majestatem & Rempubl., tum ad muniendum Portum ipsamque Civitatem, tum ad militem præsidiarium alendum hactenus

nus impenderit, & indies majores adhuc impendat, quibus imposterum ferendis, & debitis, inde contractis, solvendis haud par sit ita sit: Ideò Status & Ordines rogant, S. R. Majestas eam Civitatem sibi porrò benignissimè commendatam habere atque providere dignetur, ut hisce in Comitiis votorum atque desideriorum suorum compos fiat, & non modò pro sublevandis suis necessitatibus & solvendis debitis subsidia, sed & præmia, fide & virtute suâ digna, consequatur.

Idem repetitum in *Instructione Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ ad Comitia Regni, die 27. Jun. Varsaviæ celebranda, Nunciis Terrarum Prussiæ ex dicto Conventu Culmensi d. 15. Jun. 1628. data.* §. *Et cùm publicè constet &c.*

VIII. *Constitutio Comitiorum, Varsaviæ Anno 1628. die 18. Julij celebratorum, Tit. Civitas Gedanensis. &c.*

NOta est Nobis & Universæ Reipublicæ, præclarô in omnem posteritatem exemplo, Civitatis Gedanensis servata fides, cum non exiguo fortunarum suarum dispendio. Volentes itaq; etiam ad finem laudabilem ipsorum constantiam obfirmare, ab omnibus Contributionibus, quas antea in subsidia belli sæpius conferre obstricti fuerunt, durante hoc bello ex consensu Universorum Statuum Civitatem istam liberamus. Atq; ut Gratia nostra & Reipubl. in sublevandis Civitatis illius oneribus manifesta ipsis esse possit, quinquies centena millia debiti ipsis assecuramus. Adhæc præcavendo, ne per Societatem Anglicanam, quæ hactenus Residentiam suam Elbingæ habuit, ac pannorum caristiæ causa fuit, & monopolii vim sapiebat, incolæ Dominiorum nostrorum aggraventur ulterius: Proindè Societatem illam Anglicam tàm Elbingæ, quàm in Regali & Ducali Prussia, ac aliis universis Civitatibus Dominiorum nostrorum, tàm Regni quàm magni Duc. Lithv., in perpetuum cassamus & abrogamus, atq; statuimus, ut nulli panni, cujuscunq; generis & speciei, per societatem Anglicam invehi soliti, in ditiones nostras Regni & M. Duc. Lithv. intromittantur, præterquàm per solum portum Civitatis nostræ Gedanensis, sub signis ejusdem Civitatis Gedanensis, juxta notas & signa tàm Anglicorum, quàm aliorum transmarinorum pannorum: quæ signa in ea Civitate pannis illis quibusvis per officium Civitatense apprimi debent: sub pœna confiscationis mercium, in illos, qui per alia loca & sine signis Gedanensibus ejusmodi pannos in ditiones nostras introducere & advehere ausi fuerint, extendenda: Quâ pœnâ qui libet talis per Officium ejus loci Castrense aut Civitatense, ubi cum ejusmodi pannis detectus, receptus, & delatus fuerit, irremissibiliter affici debebit. Quod si Officium in hoc fuerit negligens, mulctâ quingentarum marcarum puniendum erit: pro quo forum tàm in Regni quàm M. D. Lithvaniæ Judiciis Tribunalitiis Officio Castrensi inter causas Officii ex delatione cujusvis Civis Gedanensis, atq; Officio Civitatensi post Curiam Nostram assignamus. Supramemoratum jus verò ad illos pannos trahi non debet, qui diversis viis terrestribus Regnum ingrediuntur.

IX. *Re-*

IX. *Responsum S. R. Majestatis Nuntio in Conventu Generali Terrarum Prussiæ, Culmæ die 30. Decembr. Ao. 1628. celebrato, datum §. Quia verò Civitas Gedanensis &c.*

QUia verò Civitas Gedanensis non postremum suæ virtutis fidei & constantiæ specimen Reipublicæ contestatur, Nobisque hoc in Conventu exponi curavit, sumptus bellicos in tantum indies excrescere, ut ei quàm difficile sit, eos diutius ferre, nisi à Republica promissa ei subsidia subministrentur: Proindè Status & Ordines pro ea demissè intercedunt & rogant, ut eidem quinque illa Centena millia florenorum, publicâ Constitutione ei assecurata, in subsidium & auxilium solvantur, & ulteriora pro defensione & sublevatione civium ejusdem, uti Sac. Regia Majestas in Instructione suâ clementissimè innuit, subministrentur.

Idem repetitum in *Instructione Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ, Nuntiis ad Comitia, 9 Januar. Ao. 1629 Varsaviæ habenda, ex Conventu suprà dicto Culmensi d. 30 Decembr. A. 1628. data Petito 4, Quia civitas Gedanensis &c.* Conf. *Responsum, S. R. Majestatis Nuntio in Conventu Generali Terrarum Prussiæ,* Culmæ *habito die 2. Maj. Ao. 1629, datum §. Et cùm utique notissimum sit. &c.* Item *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nuntiis ad Comitia Regni ex Conventu Generali Graudentin. d. 25. Sept. Ao. 1630 dat. § Rogabunt* quoque Domini Nuntii Nostri, ut Civitatum Majorum Prussiæ Thorunii & Gedanensis condigna ratio habeatur, & Civitati Gedan. præterea, quæ in præteritis Comitiis promissa sunt, ad ulteriorem militis præsidiarii sustentationem & debitorum jam contractorum persolutionem ex Contributionibus Regni sufficientia subsidia suppeditentur. *Responsum S. R. Maj. Nuntio ex eodem Conventu Graudentinensi datum §. Pro Civitatibus quoque Thorunensi & Gedanensi &c.*

X. *Constitutio Comitiorum Regni Generalium, Varsaviæ d. 20. Febr. Anno 1629. celebratorum, pag. 16. Tit. Civitas Gedanensis.*

COnstantiam fidei & affectus erga Nos & Rempublicam Nostram bona in consideratione habentes Civitatis nostræ Gedanensis, nec tamen hoc tempore valentes liberare eâ summâ, quæ in Comitiis præteritis à Nobis & Republicâ assignata: Eandem assecurationem in totum conservantes ad alia Comitia illud rejicimus, & omnimodam gratitudinem in futurum Civitati isti testabimur.

XI. *Constitutio Comitiorum Varsaviensium, An. 1629. d. 27. Novembr. Tit. Civitas Thorunium & Gedanum.*

COgnitam habentes constantem fidem erga Nos & Rempl. Civitatis Nostræ Gedanensis quamvis libenter nos exoneraremus summâ, ipsis in Comitiis Anni 1628. assecuratâ, attamen ob alia non exigua onera Reipubl. non valentes

valentes hoc tempore huic rei satisfacere, assecurationem, præteritis in Comitiis factam, ad futura Comitia remittimus; in quibus annitemur, ut promissorum satisfactionem à Republ. obtineat. Et quoniam eadem Civitas tempore illo belli alimentorum & Victualium penuriam passa est, proindè rationem habentes necessitatum incolarum Civitatis istius sancimus, ut omnia frumenta, quæ per Vistulam defluitantur, nullum alium ad locum, præterquam Gedanum, defluitentur & convertantur usque ad futura Comitia.

XII. *Constitutio Comitiorum, Varsaviæ habitorum d. 12. Martii Anno 1631, Tit. Civitas Gedanensis.*

PRomeruit Civitas Nostra Gedanensis, quò minus constantis ejus fidei, Nobis & Reipubl. testatæ, obliviscamur. Quam ut juxta assecurationem præteritorum Comitiorum Nostra & Reipublicæ Gratitudine firmemus, summam Quingentorum millium florenorum, Constitutione Anni 1628. ipsis destinatam, Illustri Thesaurario Nostro ex Contributionibus, Comitiis in præsentibus laudatis, post præviam solutionem debiti, Exercitui competentis, tradere ad manus ipsorum, & Reipubl. fidem eliberare mandamus. In quantum verò residuum ex solutione, Exercitui facta, non exæquaret summam Quingentorum millium florenorum, tunc quocunque residuo soluto, reliquam vigore hujus Constitutionis ad futura Comitia assecuramus, atque jus, Constitutione Anni 1628. de invectione & sigillatione pannorum ipsis concessum, ex integro conservamus.

XIII. *Confœderatio Generalis omnium Ordinum Regni & Magni Ducat. Lithuaniæ, in Convocatione solenni Varsaviensi inita die 16. Iulii Ao. 1632. §. Sicuti Terrigenis Livoniæ &c.*

SIcuti Terrigenis Livoniæ & Civitati Gedanensi intuitu meritorum & damnorum, pro Republica susceptorum, in Comitiis Anni 1631 promissa & assecurata est certa summa: ita easdem præsenti solenni Congregatione Nostrâ roboramus, atque ut ipsis hoc passu Thesaurus Reipublicæ, in quantum externæ securitatis rationes patientur, satisfaciat, volumus.

XIV. *Constitutio Comitiorum Coronationis, Ann. 1633. die 30. Januar, Cracoviæ celebrator. pag. 40. Tit. Assecuratio Civitatis Gedan.*

QUoniam summa centum quinquaginta millium florenorum ad rationem Quingentorum millium florenorum, à Republica assecuratorum Civitati Nostræ Gedanensi, exsoluta: ab Illustri Thesaurario Nostro Regni exigimus, ut Summa illa residuitatis, videlicet trecentorum quinquaginta millium florenorum, quantocyus ex Contributionibus Reipublicæ ad ipsos perveniat.

XV. *Constitutio Comitiorum Regni, Varsaviæ die ultimâ Januar. Ao. 1635. inchoatorum, pag. 26. Tit. Civitas Gedanensis.*

QUandoquidem residuum summæ, a Republica Civitati Gedanensi assignatæ, hactenus ob varias Reipublicæ necessitates soluta non est: proinde inhærentes anterioribus Constitutionibus, ratione solutionis ejus summæ, Civitati

vitati isti sancitis, eam, quàm celerrimè id fieri poterit per difficultates illas Reipublicæ, ex proventibus Reipublicæ solvendam mandamus.

XVI. *Cautio Sacra Regiæ Majestatis Poloniæ, de restituendis Civitati Gedanensi expensis belli, data Crosnæ, die 11. Januar. Ao. 1656.*

JOannes-Casimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ &c. &c. &c Universis & singulis, quorum interest, Significamus præsentibus Literis nostris, quòd cùm Civitas nostra Gedanensis, more Majorum suorum, uti quovis anteriore tempore constantissimam Nobis fidem, & immutabilia veræ subjectionis argumenta contestaretur; ita turbulento hoc Reip. statu, nec secunda hostis fortuna, nec oblatis sibi à Rege Suecorum variis pollicitationibus, nec denique pessimo aliarum Civitatum scandalo commota, fideifragio annuere voluerit, imo in eadem erga nos universamque Remp. fidei permanserit constantia. Quod cum gratissimo ab Eâdem excipientes animo jure merito faciendum Nobis esse duximus, quatenus ejusdem Civitatis singularem rationem haberemus, atque eidem super præsentibus, in conscribendo milite & sui defensione sumtibus & expensis, expositis & exponendis, præsentem Nostram Regiam daremus Assecurationem: certificantes eandem, quòd in proximis Regni Comitiis omni incumbemus studio, ut eidem Resp. præfatos omnes sumtus, quoscunque ad defensionem conservationemque sui exposuit, totaliter refundat & restituat. Nos quoque omnibus, quibus poterimus, modis ex nostrâ parte eidem subveniemus. In cujus rei fidem præsentes, manu nostrâ subscriptas, sigillo Regni communiri jussimus. Dat. Crosnæ die XI. Mens. Junuar. Ao. Dom. M. DC LVI. Regnorum Nostrorum Poloniæ & Sueciæ VII. anno.

Joannes Casimirus REX. (L. S.)

XVII. *Cautio Senatorum Regni de restituendis expensis bellicis Civitati Gedanensi, præstita Crosnæ die XI. Januar. Ao. 1656.*

NOs Senatores & Officiales Regni, ad latus Sacræ Regiæ Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, ad præsens residentes, Universis & singulis, quorum interest, præsertim verò Spectabilibus Burggrabio, Pro-Coss. Coss. totique Magistratui Civitatis S. R. Majestatis Gedanensis ad notitiam deducimus. Quòd, quemadmodum S. R. Majestas, Dominus Noster Clementissimus, gratissimo animo Civitatis ejusdem Gedanensis, uti quovis alio tempore, ita præcipuè hoc turbulento Reip. statu illibatam & integrè servatam sibi fidem excipiendo, eidem Literas Assecurationis suæ super sumtûs belli, per eandem Civitatem ad conscribendos Præsidiarios milites & sui defensionem expositos dederit: ita Nos quoque ex mutuo & unanimi Consensu eidem Civitati Gedanensi cavemus, & eandem præsentibus assecuramus, Remp. prout antea semper eidem Civitati ob servatam fidem & præstitam operam gratam se monstravit, ita & modernas ejus Civitatis expensas, conscribendo militi & sui defensioni impensas, restituturam & refusuram: quemadmodum etiam iis mediis ac subsidiis, quibus ad præsens poterimus, eidem succurremus, totaque Resp. ad avertendum hostem, & ad conservandam dictam

Civitatem subveniet. In quorum omnium meliorem fidem præsentes manu nostrâ subscripsimus. Dat. in Oppido Crosnæ die XI. Mensis Januar. Anno M. D C LVI.

Andr. Trzebicki Episc. Przemisliensis Vice-Cancell. Regni Pol.
Jerzy Lubomirski Mareschalcus Regni
Stanislaus Potocki Pal. Kiowiensis Generalis Exercitus
Stephan. Korycienski Koniuszu Krol. JM.
Stanisl. Lanskorinski Woiew. W. Hetman. W. Koron.
Ioannes Tarlo. Pal Lublinensis.
Krzyſtoph. Tiſskiewiz. Woiewoda Czernikowski.
Petrus Potocki. Pal. Braclav.
Stan. Witowski. Castell. Sendomir.
Stanislaus Zitowski Lub. Capitaneus
Ioannes Wielopolski. Cast. Woinicienſis
Steph. Czarnecki, Cast. Kiov.
Alexander Sielska. Cast. Lancicienſis.
Andr. Maximil. Fredro. Castellanus Leopolienſis.
Vladislaus Wollowicz. Castell. Smolencenſis.

XVIII. *Concessio S. R. Maj. Polon., ut Portorii Gedanensis pars Regia à Civitate impendatur in expensas belli, data Zamoscii die XI. Mens. Maji, anno. 1656.*

Joh. Casimirus Dei Gratia Rex Pol. &c. &c.

Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis & singulis. Quod quemadmodum sub initium incendii præsentis belli Svetici ac toto hoc Regni nostri turbulento statu nullum ejusmodi in Nobis desiderari fecerimus, quod ad avertenda ingruentia pericula, & relevandum ex oppresione hostis Regnum nostrum non admoveremus remedium: ita feliciore jam ad præsens armorum nostrorum successu omnem curam adhibere volumus, ut rebus Regni Nostri ab omni parte provideamus. Quapropter cum imprimis Civitas nostra Gedanensis omni tempore fidelissimam se Nobis præstiterit, nec præmiis aut precibus in turpe obsequium hostium sese flecti passa sit, verum generosa manu hostem à propriis mœnibus non tantum avertat, sed etiam alia loca, utpote Fortalitium Pucense, ab insultu illius aliquoties suo milite defendat, & modò custodiat, ac insuper Præsidiarium militem Nostrum, qui adhuc ibi reliqvus est, proprio ære sustentet, negotiationesque publicas ad exteros, propter majorem Regni nostri Utilitatem à Nobis demandatas, magnis sumptibus subeat ac promoveat: Igitur Nos hæc Studia & magnas illorum impensas clementer considerantes, & ne supra vires inusitatis oneribus aggravetur, imò ad bene de Nobis & Regno nostro merendum suffragiis nostris sublevetur, faciendum Nobis esse duximus, quatenus in auxilium præsentium sumptuum, moderno statui ac necessitatibus impendendorum, illam partem pecuniarum, quæ Nobis singulis annis ex Portu provenerit, Phalgeld dictam, eidem Civitati Nostræ Gedanensi assignaremus: prout quidem cum suspensione intereà in hac Necessitate publica, cui inprimis consulendum, omnium donatariorum super easdem pecunias

cunias Phalgeld Privilegiorum aut assignationum quarumvis, donec plenarie eidem Civitati nostræ Gedanensi de his & similibus nostris expensis, ex calculo deinceps & rationibus apparentibus, satisfactum fuerit, accedente Consilio & Consensu Senatorum, ad latus nostrum residentium, assignamus hisce Literis Nostris, Volentes, ut ea in parte à nemine eadem Civitas nostra Gedan. interturbetur ac molestetur. Pro Gratia nostra. In cujus rei fidem præsentes, manu nostra subscriptas, Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Zamoscii die XI. mensis Maji. Ao. Dn. MDCLVI. Regnorum Nostrorum Pol. & Sueciæ VIII. anno.

Johannes Casimirus REX, (L. S.)

Albertus Goraiski

Crac. Posn. Præpos. R. Cancell. Regens.

XIX. *Instrumentum oppignorati à S. R. Majestate Capitaneatûs Pucensis. dat. Zamoscii XII. Mens. Maji. Ao. Dni. 1656.*

Joannes Casimirus, Dei Gratiâ Rex Poloniæ. &c. &c. &c.

Significamus, quorum interest, universis & singulis. Quòd cùm Civitas Nostra Gedanensis ultra illibatam Nobis Reique publicæ servatam fidem ingentesque sumtûs, ad proprium Præsidium expositos, illud nobis & Reip. ad requisitionem nostram præstiterit studium, quod suis sumtibus & milite Fortalitium Pucense ab insultibus hostis, per terras Prussiæ ubique grassantis, defendendum susceperit, illudque speciali Generosæ N. N., ejusdem Pucensis Capitaneatûs & illius Fortalitii modernæ Tenutricis, accedente consensu, (cùm Ipsa ad defensionem illius non sit sufficiens, nec etiam obstante sexus sui fragilitate valeat,) sufficienti præsidio, omnibusque belli & defensionis requisitis non sine magnis impensis muniverit: facilè ex consensu præmemoratæ Generosæ Tenutricis Pucensis Capitaneatus eidem Civitati Nostræ Gedanensi ulteriorum sumtuum provivendorum, & eorum, quos exposuerit, recuperandorum causa, dictum Capitaneatum nostrum Pucensem, cum Oppido Puzke, omnibusque villis & universis attinentiis ac fructibus quibusvis, in administrationem dandum & tradendum esse duximus: prout quidem, salvo Iure Advitalitio præfatæ Generosæ Tenutricis, ad pacatiora tempora, percipiendamque sumtuum omnium, per Civitatem Gedanensem, quoscunque ad Fortalitium Pucense exposuerit, & calculo demonstraverit, ex eodem Capitaneatu sufficientem & plenariam satisfactionem in toto reservato damus & tradimus hisce literis Nostris: ita ut vigore præsentium dicta Civitas sive Commissarii illius, omnes proventus, ususfructus & emolumenta, ex ejusdem Capitaneatûs oppidis, villis, prædiis, curiis, molendinis, tabernis, subditis, & quibusvis in genere omnibus attinentiis ad feliciora tempora, ac eo usque, donec suos sumtus, in præsidium ejusdem Fortalitii erogatos, plenè non perceperint, percipiant, eundemque Capitaneatum non secus, quàm moderna Tenutrix habeat: ipsi aliisque omnibus ejusdem Capitaneatis subditis notum esse volentes mandamus, ut omnes proventus, emolumenta, & ususfructus, ex eodem Capitaneatu proveni-

entes, Civitati Gedanensi, seu suis Commissariis, integrè ex tradant, & eisdem in omnibus pareant, atque pro Administratoribus suis agnoscant, Pro Gratiâ nostrâ. In cujus rei fidem præsentes, manu nostrâ subscriptas, Sigillo Regni communiri jussimus. Dat. Zamoscii XII. Mensis Maji. Ao. Dom. MDCLVI Regnorum Nostrorum Polon. & Sueciæ VIII. Anno.

Joannes Casimirus, Rex

Albertus Goraiski, Cracoviensis, Posnaniensis Præpos. Regni Cancell. R.

XX. *Instructio Sacra Regiæ Majestatis, Joannis Casimiri, Nuntio ad Conventum Generalem Terrarum Prussiæ (Gedani d. 11. Junii Ao. 1658. celebrandum,) data in Villa Boguntow die 27. Maj. dicti Anni 1658.* §. Satis cognitam &c. &c.

SAtis cognitam & perspectam habent Sinceritates & Fidelitates Vestræ Civitatis Gedanensis in Sacram Regiam Majestatem & Universam Rempubl. fidem, optimeque sciunt, qua constantia, quàm imperterritis animis fidelissimi illi ac Nobilissimi cives (cæteris Prussiæ Provinciæ Urbibus vacillantibus, & sese hosti facilè dedentibus, contra Suecum totô hôc trienniô steterint, & ulterius stare sint parati, magnis suis impensis, & mercimoniorum, quæ belli calamitate frigere & jacere debent, jacturâ. Proindè S. R. Majestas multum cupit, ut in Comitiis futuris desideriorum suorum fiant compotes, assecurationemque tàm in expensis, à se in defensionem Patriæ factis, quàm in suis postulatis, quæ à Sacra Regia Majestate, Gedani tum dimorante, quàm à Senatoribus, ad latus Regium residentibus, sunt trutinata, contentationem assequantur.

XXI. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nunciis, ad Comitia Regni, die 10. Iulii Ao. 1658. Varsaviæ celebranda, deputatis ex Conventu Generali, Gedani d. 11. Iunii dicti Anni 1658. habito, data. §. Desideria Regiæ Civitatis Gedanensis. &c.*

DEsideria Regiæ Civitatis Gedanensis ratione meritorum, damnorum & expensarum, quoniam non tantùm harum Terrarum suprema salus, verùm etiam totius Regni incolumitas ab ejus Civitatis conservatione dependet, & hoc negotium ad totam Rempublicam spectat, Generosis Dominis Nuntiis in Comitiis tractanda, & de meliori nota recommendanda, committuntur.

XXII. *Constitutio Comitiorum Regni Generalium, Varsaviæ die 10. Iulii Anno 1658. celebratorum, pag. 29. Tit. Permissio Accisarum Civitati Gedanensi. &c.*

ACcisas solitas, in Civitatibus Prussiæ ad singulas agrarias pertinentes, durante hôc bellô Civitati Gedanensi pro necessitatibus ejus concedimus: ita tamen, ut Thesaurus Noster imposterum, uti antehac, ad colligendas eas pertineat, nisi alia adhuc desuper Dispositio Nostra intervenerit. It.

Item Tit. Assecuratio Civitatis Gedanensis.

Insignis Virtus, fides & constantia Civitatis Nostræ Gedanensis quamvis semper antehac, singulariter tamen hâc occasione belli Suecici testata, meretur esse exemplar, sed & respectu Nostro ratione expensarum, alacriter susceptarum, digna est. Quèm demonstrare cupientes certam Commissionem ex Cancellaria Nostra quàm citissime extradi mandabimus, ex qua, quicquid constabit, tàm quoad expensas, quàm ulterioris conservationis desideria, illud futuris, Deo volente, in Comitiis, eliberando assecurationem Nostram, antehac desuper Crosnæ datam, de data 11. Ianuarii Ao. 1656, recompensare & refundere promittimus.

Item Titul. Sigillatio pannorum.

Sigillatio quorumcunque pannorum, uti eam antehac quoq; à Republica obtinuit, ita porrò Civitati Gedanensi fervire debet. Aliæ tamen Civitates hujus Gratiæ non fient participes, salvis juribus Ducalis Prussiæ & Ejusd. Civitatum.

Item. Titul. Reparatio Aggerum.

Ad avellendam a Nobis Civitatem Gedanensem, & in deteriorationem portus, ibi existentis, magno cum damno Hostis aggeres Insulæ trans fodit, derivans aquam in bona Civitatensia, Proinde considerantes & Reipubl circa hoc interesse, & rationem habentes expensarum, tempore belli hujus à Civitate Gedanensi factarum, quamprimum licebit, erigere denuò eos aggeres plenariè jubebimus, & inibimus rationes, quò id non solius Civitatis impensâ perficiatur.

XXIII. *Constitutio Comitiorum, die 17. Martii Ao. 1659. Varsaviæ celebratorum, pag. 31. Tit. Civitas Gedanensis.*

QUoniam Civitas Nostra Gedanensis summam, in varias necessitates Reipublicæ erogatam & ammunitionum, ad 85122. floren. & gr. 23. sufficienter liquidavit, proindè has pecunias ex primis Contributionibus Terrarum Prussiæ ipsis assecuramus, & ut Illustris Thesaurarius Assignationem extradat, jubemus. Et quia Sigillationem quorumvis pannorum à præteritis Comitiis ad præsentia concessam habuerunt; proindè eâdem ratione ad futura, Deo volente, Comitia eam ipsis firmamus & concedimus. Alia verò desideria Civitatis, quoniam non nisi in loco patere possunt ex re oculis subjecta, aut per inquisitionem enucleata, quem etiam in finem præteritis in Comitiis Commissarios designaveramus, quorum Commissio cùm ad effectum deduci non potuerit, ideò denuò Autoritate præsentis alteram Commissionem ex Cancellaria extradi mandamus, quo post omnia, salvis juribus & bonis Episcopatus Vladislaviensis & Pomeraniæ, sufficienter perpensa & cognita, futuris in Comitiis Commissarii Nostri relationem faciant: ubi Res publica, quicquid erit Iustitiæ & Æquitatis, decernet & præstabit.

XXIV. *Privilegium S. R. Majestatis, Civitati Gedanensi super Bonis Caducis collatum, anno 1660.*

JOannes Casimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ &c. &c. &c. Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis & singulis.

ſingulis, Oblatas eſſe ad Acta Metricæ Regni Literas pergamenas infra ſcriptas, Jus Caducum, à Nobis Civitati Gedanenſi legitime collatum, in ſe continentes, manu Noſtra Regia ſubſcriptas, ſigilloque Regni munitas, ſanas, ſalvas, illæſas, omnique ſuſpicionis nota carentes: quarum quidem Literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur talis:

Joan. Caſimirus, Dei Gratia Rex Pol. Magn. Duc. Lith. Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogytiæ, Liv. Smol. Czernich. nec non Svec. Goth. Vandalorumque Hereditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Regii Culminis Decus in eo conſiſtit, ut ſubditi fideles, & boni Reip Cives, non tantum præſidium ac ſecuritatem in ſuperna Majeſtatis Tutela, verum etiam in benignitate ac gratia rerum afflictarum ſolatia inveniant: maximè autem ut illi, qui notabilibus obſequiis ac eminentiori aliqua Virtute præclare ſunt meriti, præmiis inſignioribus viciſſim condecorentur, quo & alii ad æquè benè merendum excitari poſſint. Quandoquidem Civitas noſtra Gedanenſis non ſolum retroactis temporibus, intemeratæ Conſtantiæ ac fideliſſimæ Subjectionis, Sereniſſimis Prædeceſſoribus Noſtris Nobisque ipſis perpetuò præſtitæ, multis egregiisque documentis inclaruit, verum etiam in hoc bello, temporibus Noſtris Regnique ac ditionum Noſtrarum difficillimis ac penè deploratis ſpes hoſtium, circa ſolam illam Civitatem hærentes, vera ſolidaque virtute perfregit, & ut extaret toti orbi Exemplum Pietatis, fidei, ac fortitudinis inviolabilis atque inconcuſſæ, fortunas ſuas omnes publicas & privatas retundendis hoſtilibus inſultibus, & divertendis conatibus, fortiter alacriterque impendit, inq; tam honeſto & glorioſo propoſito adhuc firma & immota perſiſtit: Ideò Nos ad curam noſtram & ſollicitudinem Regiam meritò pertinere judicamus, quo & afflictiones privatæ Civitatis omni refoveantur Solatio, & Virtutis imperterrita merita exquiſitis remunerationibus cohoneſtentur. Quia autem majora Regiæ illius Recognitionis Teſtimonia ad feliciora, quæ propediem ſperamus, tempora, neceſſario nunc ſunt reſervanda, & nihilominus præfata fideliſſima Civitas noſtra, de Clementiſſima & benigna noſtra Propenſione aliquo documento poſſit eſſe certa: Ideo Bona Caduca, in Eadem Civitate legitimè incidentia & provenientia, quæ jam olim aliis quibusdam intra Regnum Noſtrum Civitatibus pro reficiendis muris fuerunt indulta, Nobilibus ejusdem Civitatis Præ-Coſſ. & Coſſ. non in adminiſtrationem duntaxat, ſed in fruitionem abſolutam ac plenariam, veramque Proprietatem, quæ uſui totius Communitatis ſerviat, concedenda atque aſſignanda cenſuimus: prout vigore præſentis Privilegii Noſtri concedimus atque aſſignamus, eamque adminiſtrationem atque fruitionem, quia ſecundum olim Regis Vladislai IV, Fratris noſtri deſideratiſſimi, atque noſtra reſcripta, ad extenuationem certarum ſummarum hactenus fuit temporaria, iisdem Præ-Coſſ. atque Coſſ. perpetuam atque æternam facimus, quodque in tali adminiſtratione atque fruitione Bonorum Caducorum, neque à Fiſco Noſtro, neque à quovis alio ulla ratione aut modo turbari aut inquietari debeant in verbo Regio, & tam pro Nobis, quam pro Sereniſſimis Succeſſoribus Noſtris promittimus & ſpondemus. Salva tamen illa Summa, quæ Generoſo

Petro

Petro Minocki ejusque Hæredibus, usque huc, in iisdem bonis caducis, juxta Nostrum Rescriptum, eidem Generoso Minocki benignè concessum, restare poterit: quam præfati Præ-Coss. ac Coss. ad debitas quietationes successivè extradere tenebuntur. Præterea Nobis ac Successoribus Nostris reservamus bona eorum, qui de Crimine læsæ Majestatis & perduellionis, adversus Nos vel Serenissimos Successores Nostros Regnumque Poloniæ commisso, verè ac legitimè fuerint convicti, vel si quæ aliæ summæ, juri Caduco ex Causa Sterilitatis obnoxiæ, summam Quinquaginta Millium Florenorum excedunt, ex dispositioni Nostræ Successorumque Nostrorum subesse debebunt. Illud ad extremum Privilegio hocce Nostro cautum esse volumus, ut citra caduca ex causa Sterilitatis non nisi post eos Civitati nostræ Gedanensi competant, qui legitimis Successoribus ad octavum usque gradum (computando juxta arborem Civilem,) carebunt: & si quis circa caduci executionem se gravatum senserit, ei liberum sit coram Judicio Ordinario Civili Gedanensi, prout hactenus fuit observatum, jure experiri, salvis ad Officium Consulare, & porro ad Nos, & Judicia nostra Regia appellationibus. In cujus rei fidem præsentes, manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni communiri jussimus. Dat. Gedani, die XXX. Mensis Aprilis, A. D. MDCLX. Regn. nostrorum Pol XII. Sveciæ XIII. anno.

Joannes Casimirus Rex. Loc. Sig. Maj. Regni ad pergamenum pensilis. Stephanus Hankiewicz, Secretarius Regiæ Majestatis. Quas quidem præinsertas Literas modo præmisso in Actis Metricæ Regni Cancellariæ Nostræ Majoris repertas extradi mandavimus. In cujus rei fidem præsentes Sigillo Regni communiri jussimus. Dat. Gedani, Feria III. post Dominicam Rogationum proxima, Ao. Dn. MDCLX. Regnorum Nostrorum Pol. XII. Sveciæ XIII. anno.

Nicolaus Prazmowski,
Episc. Luceor. Supr. Regni Cancell.

L. S.
Cancell Maj. Regni.

Relatio Ejusd Illustriss. Reverendiss. ac Excellentiss. Dn. Supr. Regni Cancell.

Samuel Cosmus Kurzewiz,
Secret. Reg. Majest.

XXV. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nunciis, ad Comitia, die 2. May Ao. 1661. Varsaviæ celebranda, deputatis, ex Conventu Generali, Thorunij die 26. Aprilis ejusdem Anni habito, data. §. Civitatis quoq; Gedanensis &c.*

Civitatis quoque Gedanensis æquam rationem haberi fas est, utpote quæ ex haustis propriis facultatibus, & interposita magno cum onere apud alios pro ingentibus aliquot millionum summis fide sua totam se Regi & Regno per totum bellum constanter impendit. Proinde ne virtutem prædictæ Civitatis

Civitatis in seculum, virtuti infensum vel incuriosum, incidisse, querela exsurgat, instabunt summâ diligentiâ Magnifici & Generosi Domini Nuntii, rogabuntque, ut ratione sumptuum ac debitorum juxta Rescripta Regia & Senatoria, Crosnæ Ao. 1656, emanata, & authoritate desuper Comitiali roborata, contentationem suam finaliter & ultimariè obtineat, tum etiam, ut in reliquis desideriis suis circa fundum Schotlandici pagi, Montisque Episcopalis adjacentis, circaque teloneorum immunitatem in Regno, pannorum maritimorum invectionem per solum portum Gedanensem, Juriumque suorum ac meriti habeatur ratio, ac præsertim in reparatione aggerum Vistulæ, quibus illa par non est, ad evitandam difficiliorem & anfractuosam defluitationem, atque indè emergentia damna totius Regni atque incommoda, adæquato auxilio, favente nunc inprimis anni tempestate, à Republica quantocyus adjuvetur.

XXVI. *Constitutio Comitiorum Regni, Varsaviæ die 2. Maji, Anno 1661. celebratorum, pag. 30. Tit. Recessus Satisfactionis, Civitati Gedanensi præstandæ.*

QUoniam in hisce Comitiis ob magnas Reipublicæ necessitates eò deveniri non potuit, ut Deputati ad id tam ex Senatu quam ex Nunciis designati, Nobis & Reipublicæ informationem dare potuerint de modis satisfactionis, Civitati Nostræ Gedanensi, ratione expensarum, in bellum Sveticum erogatarum: Proinde nolentes quidquam derogare justitiæ causæ illius, denuò hoc negotium ad futura Comitia differimus, promittentes Nos inter prima negotia id habituros, ut dicti Deputati Relationem Liquidationis & recognitionis faciant, atque Ordines Reipublicæ absque reali satisfactione non dimittant tàm fidos & benè meritos subditos nostros.

XXVII. *Instrumentum Liquidationis Expensarum bellicarum Civitatis Gedanensis, coram Commissariis Regiis & Reipublicæ factæ, prout actis Metricæ Regni ingrossatum Varsaviæ Sabbathô postridie Festi S. Mariæ Magdalenæ, Anno 1661.*

JOannes Casimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ. &c. &c. &c. Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest, universis & singulis. Quòd veniens personaliter ad Acta præsentia Metricæ Nostræ Cancellariæ Majoris Regni Generosus Benjamin Krause, Civitatis Nostræ Gedanensis Secretarius, & nomine ejusdem Civitatis in Aulâ nostrâ residens Ordinarius, palam, ultrò & liberè scriptum certum, Liquidationem Expensarum bellicarum, à prærecensita Civitate Gedanensi pro bono Reip. in proximè præterito Bello Suetico erogatarum, atque declarationem, per Nobiles & Spectabiles ejusdem Civitatis Gedanensis Internuncios, ad Comitia Regni Generalia, immediatè hic Varsaviæ celebrata, deputatos, ratione præ allegatarum Expensarum, testimonium & argumentum suæ erga Nos & Remp. Fidei & constantiæ, factam, in se continens, manibus propriis Commissariorum, tàm ex Senatu quam ex Equestri Ordine assignatorum, subscriptum reproduxit,

duxit, petens illud ad Acta præsentia suscipi: Cujus quidem Scripti tenor est ejusmodi:

Nos infrascripti, à S. R. Majestate & Rep. Polonica Deputati, vigore præsentium notum facimus: Quòd cùm Domini Internuncii Civitatis Gedanensis in præsentibus Regni Comitiis, inter alia sua Reip. proposita desideria, satisfactionem Expensarum bellicarum, à memorata Civitate pro bono Reip. in nupero bello Suecico erogatarum, ac per Regias & Senatorias primùm literas, deinde & Constitutionem publicam Regni assecuratarum, peterent, S R. Majestas autem & Respubl. Nos ad liquidationem harum expensarum deputaret, post varias habitas eo nomine ultro citroque conferentias prædicti Domini Internuncii specificè & legitime expensas suas, in scripto consignatas, & ad summam Florenorum Quatuor Millionum *Octingentorum Octuaginta trium* Millium, Nongentorum viginti sex, grossorum duodecim, produxerint, deductisque eis, quæ contra accepissent, summa *Florenorum Quatuor Millionum, quingentorum, septuagita trium millium, quingentorum triginta quinque, trium denariorum, remanserit:* Nihilominùs tamen iidem Internuncii persuasionibus nostris & calamitoso Reip. statu permoti, pro contestanda sua erga S R. Majestatem atque inclytam Remp. fide & observantia, Civitatem Gedanensem majorem expensarum partem certis conditionibus in se suscipere, & duobus Millionibus tantùm contentos esse velle, se declararunt. Cui quidem declarationi, utpote ipsi æquitati consonæ, Nos Commissarii insistentes, prædictam omnium prætensionum liquidationem *Duobus hisce Millionibus* determinatam, S. R. Mjti. & Reip. exponendam duximus. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus die XXIII. Mensis Iulii. Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Sexagesimo primo. Stanislaus Sarnowski Episcopus Przemisliens. Andreas a Przyma Przyemski, Castellanus Lanciciensis, Eremianus Dębinski, Castellanus Rogosnensis, Sredensis. Jan Ignacy Bakowski, Marcin z Dembico Dembicki, Chorazy Generalny Woywodztwo Sendomirskiego, Deputat do Constitucyi z Maley Polskiey, à z Isby Poselskiey do tey Liquidacyey naznaczony.

Ceterum is idem Generosus Benjamin Krause tàm suo, quàm totius Civitatis nostræ Gedanensis nomine, petiit, præinsertum Scriptum Liquidationis & declarationis sibi ex Actis præsentibus in authentica forma extradi: id quod obtinuit. In cujus rei fidem præsentibus Sigillum Regni Nostri est appressum. Act. & Dat. Varsaviæ Sabbatho postridiè Festi S. Mariæ Magdalenæ Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Sexagesimo primo.

(L. S.)

XXVIII. *Extractum ex illatis in Comitiis Electionis Sac. Reg. Maj. Varsav. 2. Maj. 1669. habitis, & ad Comitia Coronationis remissis Exorbitantiis.*

Civitatis Gedanensis realem contentationem intuitu expensarum, in bellum Suecicum coram Deputatis Reipublicæ liquidatarum, & reluitionem

nem Capitaneatus Pucensis prævia continuatione ratiociniorum, atq; præstationem debitæ satisfactionis inter prima negotia Reipubl. habenda, & ad executionem deducenda erunt.

Szczesny Potocki, Supdapifer Regni, Mareschalcus Ordinis Equestris.

(L. S.)

XXIX. *Attestatum de facta in Comitiis Coronationis, Cracoviæ die 29. Septembr. Anno 1669. inchoatis, sed ruptis, instantia, ratione refusionis expensarum bellicarum.*

EGo infrascriptus notum facio, in Generalibus hisce Coronationis Comitiis Nobiles Civitatis Gedanensis Dominos Internuncios instantias apud me fecisse, & petiisse, ut desideria Civitatis & liquidationes. Anno Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo primo coram Dominis Commissariis factas, ratione refusionis expensarum Sueco-bellicarum, apud Ordinem Equestrem proponerem & promoverem, ut tandem dictæ Civitati eô nomine vigore Rescriptorum & Constitutionum, desuper obtentarum, debitè à Republica satisfiat. Cùm autem præter omnem spem atq; exspectationem præsentia non sint conclusa Comitia, exponi & promoveri memoratæ Civitatis desideria ac petita non potuerunt, sed ad futura, DEO dante, feliciora reservata sunt. In cujus rei fidem præsentes manu meâ subscripsi. Cracoviæ die 15. Nov. Anno 1669.

Stanislaus à Krzicko Krzicki. Succamer. Palatinatus Kalissiensis.

XXX. *Instructio Sac. Reg. Majestatis pro Conventu Ante-Comitiali, Graudenti die 30. Januar. Anno 1670. celebrando, ex Cancellaria Regni Majori Nuntio Regio data, §. Quandoquidem Dantiscum, &c. &c.*

QUandoquidem Dantiscum tempore belli Suetici constanter fidem suam non sine ingenti jactura exhibuit, æquitatis esse existimat Sac. Reg. Majestas, Reipublicæ fidem in hoc puncto eliberari, & plenâ satisfactione contentari.

XXXI. *Instructio Statuum & Ordin. Terrar. Prussiæ Nuntiis, ad Comitia Regni, die 5. Martii 1670. Varsaviæ celebranda, ex Conventu Generali Graudentin. 30. Januar. 1670. data. §. Quandoquidem Civitas Gedanensis. &c.*

QUandoquidem Civitas Gedanensis non solùm ad sui ipsius & Terrarum Prussiæ defensionem, sed etiam in rem totius Regni tempore belli nuperrimi quatuor Milliones impensarum erogare necessum habuit, eosdem in Generalibus Regni Comitiis Anni 1661. coram Dominis Deputatis ex omnibus Regni Ordinibus exactè liquidavit, eorum autem duos milliones Civitas hæc amore Sac. Reg. Majestatis & Reipublicæ ferre in se recepit, ideò ut

ut Civitas reliquorum duorum Millionum solutionem accipiat, quemadmodum non solum Sac. Reg. Maj. & Illmi Domini Senatores Regni per Diplomata Civitati, *Crosnæ Anno 1656. die 11. Febr.* data, promiserunt, verùm etiam tota Respublica *Ao. 1658. Tit. Ubespieczenie Miasta Gdanska fol. 41.* & *Ao. 1659. pag. 31.* & *Anno 1661. pag. 30.* tàm ratione restitutionis expensarum bellicarum, quàm etiam satisfactionis in illius desideriis assecuravit, moderna etiam S. R. Majestas in Propositione sua, ad modernum Conventum data, eô nomine Clementissimè Civitatem recommendavit, quò tandem fides publica in hoc puncto eliberetur, & Civitas plenâ satisfactione contentetur: Illustres, Magnifici & Generosi Domini Nuncii idem instantissimè apud S. R. Majestatem & Rempublicam urgebunt & procurabunt.

XXXII. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ, Nunciis ad Comitia Generalia, Varsaviæ die 26. Januarii anno 1672. habenda, ex Conventu, Graudenti die 7. dicti Mensis & Anni celebrato, data* §. *Ne promptitudo & fides Civitatis Gedanensis &c.*

NE promptitudo & fides Civitatis Gedanensis, in nupero bello Svetico abunde Sacræ Regiæ Majestati & Reipublicæ contestata, ipsi magno damno sit & detrimento, propterea Illustr., Magnifici ac Generosi Domini Nuncii apud Sacram Regiam Majestatem, inhærendo anterioribus Instructionibus, obnixè intercedent, ut Civitas prædicta, ratione erogatarum publici boni causâ, & jam ante in Comitiis liquidatarum pecuniarum, quamprimum una cum interessis, quæ hucusque aliis persolvere coacta fuit, à Republ. contentetur, nec non ut cæterorum ejusdem Civitatis desideriorum condigna habeatur ratio.

XXXIII. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nunciis ad Comitia Regni, ad Electionem novi Regis Varsaviam ad diem 20. Aprilis Anni 1674. indicta, ex Conventu Generali, Graudenti die 4. Ejusdem Mensis & Anni celebrato, data.* §. *Quandoquidem Civitas Gedanensis &c. &c.*

QUandoquidem Civitas Gedanensis non solum ad sui ipsius & Terrarum Prussiæ defensionem &c. &c. *uti supra num. 31.* *Item*: Quoniam Civitas Gedanensis Anno 1656. ex urgentissima necessitate, ad benignissimam Sacræ Regiæ Majestatis & Dominorum Senatorum requisitionem, defensionem Fortalitii Pucensis & Administrationem ejusdem Capitaneatus suscepit, præsidium totius Reipublicæ bono, (cui Thesaurus Regni stipendia solvere debuisset,) Civitas hæc maximam partem solvit, & erogatam pecuniam ab Anno 1656. ad Annum 1660. ultimo Januarii à Sacræ Regiæ Majestatis Commissario, ad id specialiter deputato, Summam 152595. floren. 21. grossor. 12. denarior. Capitalem liquidavit, de qua Summa Capitali provenit Summa 75100. florenor. 7. grossor. interesse, quæ Summæ ambæ faciunt

Summam florenor. 227695. grossor. 12., ad quam ab illo inde tempore usque ad Annum 1666. ultimum Junii, accesserunt floreni 18323. gr. 13. & 3. denarii, ita ut Civitas ratione Capitaneatus Pucensis ab Anno 1656. ult. Junii, usque ad ultimam Junii Anni 1666, defalcatis defalcandis, de suo exposuerit Summam floren. 246019. groff. 11.& 15. denarior., prout ratiocinium, in Comitiis Regni Anno 1667. Ordinibus Regni exhibitum, ostendit. Proinde rogat Civitas Gedanensis, ut anterioribus Commissionibus ratificatis, liquidationibusque continuatis summa residua florenorum 246019: 11: 15. una cum interessis de Summa floren. 18323. gr. 13. & denariorum 3. & quicquid Civitas insuper ad hæc usque tempora exposuit, Civitati exsolvatur: Capitaneatus verò, siquidem is Civitati pro expensis invadiatus est, prævià satisfactione, vigore Rescripti Regii, absque ulla ulteriori difficultate & omni dilatione eximatur.

Quoniam hostis in proximè præterito bello aggeres Vistulæ, in summum Civitatis Gedanensis ejusque subditorum damnum, quoad eorundem bona non tantùm, sed etiam in magnum incommodum & præjudiciũ navigationis & commerciorum totius Reipublicæ perfodit, & inde Respublica per Constitutionem prona sit, concurrere ad reparationem aggerum Vistulæ, id autem factum non est, sed Civitas Gedanensis sola ad aliquot centena florenorum Polonicalium millia in reparationem impendere compulsa fuit, prout id ipsum ratiociniis verificari & liquidari potest; ut Respublica propter commune interesse huic Civitati succurrat.

Ex quo Civitas Gedanensis ad tam ingentes expensas bellicas pro bono totius Regni ingentes pecuniarum summas aliundè mutuo accipere, & hucusque annuatim de iis usuras solvere debuit, & etiamnum solvit: ut Civitati accisas suas, quas Thesauro aliàs contribuit, in solutum interessarum ad rationem retinere liceat, donec summæ capitales, per Civitatem expositæ, à Republica restitutæ fuerint, & hac ratione Civitas aliquatenus sublevetur, & Respublica quò diutius, eò amplius, non oneretur usuris.

Quia Sacra Regia Majestas totaque Respublica per Constitutiones Regni non tantùm expensas Civitati Gedanensi restituturam, sed etiam propter servitia, toti Reipublicæ fideliter præstita, atque per ea in & extra Civitatem, quà publice, quà privatim, immensa damna perpessa desideria ipsius exauditurum, & iis satisfacturam declaravit, id autem hactenus dilatum sit: quatenus Respublica apud Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Episcopum Vladislaviensem intervenire dignetur, ut ipsius, nec non Reverendi Abbatis Pelplinensis consensu, Episcopalis & Abbatialis seu Pelplinensis Schotlandia cum attinentiis Civitati Gedanensi approprietur; modernis verò Dominis Possessoribus à Republica æquivalens aliquod pro iisdem alibi conferatur: idque tàm propter securitatem Civitatis, quàm propter multifaria & intolerabilia præjudicia in commerciis, tum & propter coinquinationem fluminis Raduniæ.

Eadèm de verbo ad verbum repetita *in Instructione Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nunciis ad Coronationem in diem 4. Febr. Ao. 1676.*

Ao. 1676. Cracoviam indictam, ex Conventu Generali, die 3. Januar. dicti Anni 1676. Mariaburgi celebrato, data. §. Quandoquidem Civitas Gedanensis &c. Item, *§. Quoniam Civitas Gedanensis Ao. 1656. &c.* Nec non *§. Quoniam hostis &c. &c.* & *§. Ex quo Civitas Gedanensis &c.* ac *§. Quia S. R. Majestas totaq; Respublica &c. &c.*

XXXIV. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nunciis ad Comitia Regni, in diem 16. Febr. Anni 1685. indicta, ex Conventu Generali Mariaburgensi d. 20. Januar. Anni Ejusdem data. §. Civitatis quoq; Gedanensis æquam rationem haberi fas est &c.*

CIvitatis quoque Gedanensis æquam rationem haberi fas est, utpote quæ exhaustis propriis facultatibus, & interpositâ magno cum onere apud alios pro ingentibus aliquot millionum summis fide sua totam se Regi & Regno per totum bellum Svecicum constanter impendit: Proinde ne tam justæ Civitatis ejus rationes postponantur, instabunt summâ diligentiâ Illustris, Magnifici ac Generosi Domini Nuncii, rogabuntque, ut ratione sumptuum ac debitorum juxta Rescripta Regia & Senatoria, Crosnæ Anno 1656, d. 11. Januarii emanata, & desuper Autoritate Comitiali Anno 1658. Tit. Ubespieczenie Miasta Gdanska fol. 41. Item Anno 1659. pag 31. roborata, assecuratorum, nec non Anno 1661. coram Deputatis ex omnibus Regni Ordinibus exactè liquidatorum, contentationem suam finaliter & ultimariè pro necessaria subsistentia sui obtineat.

XXXV. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nunciis ad Comitia Regni Generalia, Varsaviæ die 16. Januar. Ao. 1690. habenda, ex Conventu, Mariaburgi d. 16. Decembr. Anno 1689. celebrato, data. §. Civitatis quoque Gedanensis &c.*

CIvitatis quoque Gedanensis ratione sumptuum, in bellum Suecicum impensorum, æquam rationem haberi fas est. Proindè ne tam justæ Civitatis ejus rationes postponantur, instabunt summâ diligentiâ Domini Nuntii, rogabuntque, ut quoad sumptus illos & debita, Rescriptis Regiis & Senatoriis, Crosnæ Anno 1656. die 11. Januarii emanatis, & desuper Autoritate Comitiali Anno 1658. Titulo: Ubespieczenie Miasta Gdanska fol 41. Item Anno 1659. pag. 31. roboratis, assecurata, nec non Anno 1661. coram Deputatis ex Omnibus Regni Ordinibus exactè liquidata, contentationem suam finaliter & ultimariè pro necessaria subsistentia sui obtineat.

XXXVI. *Instructio Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Nuntiis ad Convocationem Regni Generalem, Varsaviæ d. 29. Aug. 1696. indictam, ex Conventu Terrarum Prussiæ, Mariaburgi die 17. dicti Mensis & Anni habito, data. §. Procurabunt quoque &c.* & *§. Ut pro majori Civitatis Gedanensis securitate &c.*

PRocurabunt quoque Illustr., Magnifici, & Generosi Domini Nuncii, ut in futuris Comitiis Coronationis finaliter & ultimariè decernatur Civitati Gedanensi contentatio, ratione sumptuum & expensarum, durante bello Svetico pro bono Reipublicæ factarum, utpote non tantùm Rescriptis Regiis & Senatoriis, Crosnæ Anno 1656. die 11. Januarii emanatis, ac deinde Autoritate Comitiali Anno 1658. Tit. Ubespieczenie Miasta Gdanska fol. 41. Item Anno 1659. pag. 31. roboratis, assecuratarum, sed & Anno 1661. coram Deputatis ex omnibus Regni Ordinibus exactè liquidatarum. Item:

Ut pro majori Civitatis Gedanensis securitate, ex qua securitas totius Inclytæ Reipublicæ magna ex parte dependet, loca vicina fundi Ecclesiastici, quæ partim Civitatis munitionibus comprehenduntur, partim pro necessaria defensione complanata debent relinqui, Eidem Civitati approprientur cum omni Jure dominii, idoneâ compensatione & satisfactione à futuro Regnante & Inclyta Republica Episcopatui Vladislaviensi & Abbatiæ Pelplinensi per media convenientia aliundè factâ & constitutâ, seriò promovebunt Illustr., Magnifici, & Generosi Domini Nuncii.

XXXVII. *Humillima Civitatis Gedanensis, Desideria, ad Sacram Regiam Majestatem expedita d. 14. Aug. Anno 1703.*

1. CUm Sacræ Regiæ Majestati, Domino Nostro Clementissimo, ignotum esse nequeat, quantoperè patrimonialia hujus Civitatis bona per nuperrimas Saxonici militis exactiones exhausta, proventusque eorundem imminuti sint, proinde S. R. M. humillimè supplicat Gedanensis Civitas, dignetur juxta laudatissimam Divorum Antecessorum munificentiam Summas istas, quas præmemoratorum bonorum intuitu, statis anni vicibus, S. R. Majestati, sub nomine Raten-Gelder, solvere obstricta & solita est, sibi Clementissimè ad certum tempus condonare & remittere, usque dum meliori fortunæ restituta ad pristinæ promptitudinis debitum reverti possit.

2. Non dubitat porrò eadem Civitas, quin S. R. Majestas, pro consveta in eandem Paterni animi propensione, gravissimis sumptibus, quos in communem, propriæque salutis ac conservationis tutelam & defensionem impendere quotidiè cogitur, benignissima Regiorum ex Portorio proventuum largitione, hoc afflicto rerum statu, subvenire sit dignatura.

3. Submississimis apud Sacram Regiam Majestatem precibus eadem instat, ut Summarum, quæ eam circumstant, calamitatum, & gravissimi æris alieni, jam indè à tempore Svetici belli in usus Reipublicæ contracti, æquanimi ratione habitâ, Regiam suam Authoritatem interponere velit, quo collectas ex Subsidio Personali in Civitate hâc ante aliquod tempus pecunias propriis necessitatibus asservandî, & in istas, si è re visum fuerit, convertendi, liberam facultatem obtineat. Quo ipso S. R. Majest. juribus Provinciæ hujus, per nupera, uti fama est, Comitiorum Lublinensium sancita

fancita insigniter læsis, & per nos, quamprimùm certius de eô constiterit, competenti remedio vindicandis, benignissimè succurret.

4. Pari, quâ antehac, devotione rogat, ut superiorum, cæterarumq; quas adducere prolixum foret, rationum æquissimo intuitu, juxta anteriorum temporum, & novissimorum Annorum 1628. & 1658. exemplum, Accisæ, si quas in futuro Terrarum harum Conventu laudari contigerit, Civitatis hujus usibus relinquantur, & plenaria de iis dispositio per publicam legem in sequentibus Regni Comitiis eidem concedatur & stabiliatur.

5. Humillimis apud Sacram Regiam Majestatem supplicamus precibus, ut vicina Civitati loca, videlicet Schotlandiam, Montem Episcopalem, Stolzenberg, Hoppenbruch &c. quæ, prout semper Civitati huic & Civibus maximoperè præjudiciosa & nociva, ita, ubi res ad arma devenerint, in summum Civitatem adducere possent periculum, in rem & commodum Civitatis ejusdem jurisdictioni, permutatione aliove titulo, addicantur.

XXXVIII. *Ad Sacram Regiam Majestatem Literæ Humillimæ Mens. Octobr. 1703. expeditæ à Civitatibus Gedanensi & Elbingensi.*

Serenissime &c.

Prosperrimum Successum non ita pridem finitorum Lublinensium Comitiorum, post Divinam Opem, indefessæ ac singulari Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ sollicitudini, inter cæteros fideles subditos, nos quoque meritò debemus, Benignum Numen ardentibus orantes suspiriis, ut quoscunque impensos Regios labores vitæ viriumque corporis diuturnitate, ac Regiminis felicitate rependere quam benignissimè cupiat. Cum vero Sacra Regia Majestas Vestra mediantibus literis Regiis, die VI. Mensis Augusti in Bialy-Dwor propè Varsaviam ad nos datis, Clementissimè à nobis requirat, ut Onera & Contributiones, in auctionem militis Reipublicæ, stipendiorumque Ejusdem provisionem, novissimorum Comitiorum sanctis constitutæ, quantocyus apud nos, pro sorte ad nos pertinente, colligantur: in eo semper pro devotissimo in Sacram Regiam Majestatem Vestram obsequii debito, & sincerrimo in bonum publicum amore, diligentissimam locavimus operam, ne quid in nobis, quotiescunque pro veteri Jurium ac Immunitatum hujus Provinciæ praxi, Laudo Conventuum Terrarum Prussiæ Generalium interveniente, indictæ fuerunt Contributiones, desiderari passi simus. Ast dum iniquis hisce temporibus attritas nostras experimur vires, Sacræ Regiæ Majestati Vestræ, Domino Nostro Clementissimo, humillime supplicandi nobis imponitur necessitas, ut si quando Sacræ Regi Majestati Vestræ Conventum usu, anterioribus temporibus etiam ipsorum bellorum Suecicorum observato, indicere placuerit, inque eo Contributiones laudatæ fuerint, Sacra Regia Majestas Vestra Civitatibus, ut quiequid

quid tunc pro modulo facultatum suarum conferent, ob extraordinarias, quas in præsens totius partim Reipublicæ bono facere debent, expensas, in suos convertere queant usus, Serenissimorum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ Antecessorum exemplo Clementissimè largiri dignetur. Sacræ Regiæ Majestati Vestræ quod superest exoptatissimam Valetudinem & faustissimos Regiorum Consiliorum successus â Divino Numine apprecantes. &c.



